



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 77. Guisiæ Dux Pedemontium cum suo exercitu invadens.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

atque ignominia plenus ob bellum hoc  
adeo sinistre gestum invisam vitam cum  
morte commutabat.

Sæc. XVI.  
A.C. 1557.

§. LXXVII.

*Guisæ Dux Pedemontium cum suo  
exercitu invadens.*

Postquam Papa, ac Caraffenses dire,  
& anxie Guisæ Ducem, qui valido  
imperabat exercitui, præstolati fuissent,  
tandem Mense Januario Anno Domini  
millesimo quingentesimo quinquagesimo  
septimo eisdem nuntiatum, quod in  
Pedemontio nuper adventasset, secum-  
que plusquam viginti armatorum mil-  
lia duceret; erant enim in Guisii exer-  
citu quingenti Cataphracti, mille quin-  
genti levis armaturæ equites, quinque  
Helvetiorum millia, quatuor millia  
Vasconum, & Gallorum peditum se-  
ptem millia præter quædam vexilla  
Italorum, ac quamplurimos volunta-  
riam militiam professos. In hoc exer-  
citu Jacobus Sabaudus Nemorsii Dux  
sub imperio suo gallicum habuit pedi-  
tatum: Rénatus vero Lotharingus Elle-  
bovius Guisii Ducis frater Helvetiorum,  
ac Rætorum copiis imperabat, eique  
Franciscus Clivensis, & Franciscus Vin-  
docinus Carnutum Vice-Dominus, ambo  
tunc Juvenes adjuncti erant præter alios  
ex primaria nobilitate conspicuos, quos

Thuan. l. 18.  
num. 1.  
Belcar.  
comm. l. 27.  
num. 20.

H h 5

inter



Sæcul. XVI. inter etiam numerabatur Caspar Vindocini Frater, & Nancæiæ Dux: Porro A.C 1557. Philibertus Marfilius Sipetra, Caspar Saulius Tavanius, & Bonifacius Mola erant castrorum Præfecti.

Tandem Guisæ Dux Augusta Taurinorum profectus cum potissima exercitus sui parte Tricerrum, quæ urbs est inter Vercellas, & Trinum sita, pervenit, indeque ad Casalium Montferratenfe trajecit Padum, ac postea a civibus Valentianæ urbis in Mediolanensi Provincia sitæ transitum postulabat, quo negato, additoque arroganti, ac duriori responso Guisus urbem belli tormentis quatere cœpit, moxque die vigesimo Januarii ad deditionem compulit, arcemque paulopost suæ potestati subjecit: præfidiarii tamen omnes armis exuti, ac dimissi fuere, æquatis solo oppidi muris, arce tamen servata, cum id juberet summus Pontifex.

§. LXXVIII.

*Galli violatam induciarum fidem excusantes.*

*Thu. l. c.*  
*Belcar. l. c.*

Cum Galliarum Rex probe prospiceret, quod Guisio Duce in Italiam evocato inducias cum Philippo II. sanctitas violaret, hinc Casparo Colinio Francicæ classis Præfecto, ac Campaniæ Gubernatori negotium dabat, ut hostium  
Regio-